

Jerusalem, in Dominica de *Gaudete*, in festiuitate Domini, in festiuitate sancti Stephani, in Epiphania, in Dominica *Lætare, Jerusalem*, in Pascha, in feria secunda ad sanctum Petrum, in Dominica *Ego sum Pastor bonus*, in Ascensione, in Pentecoste, in festiuitate sancti Petri, in anniversario suo, in festiuitate sancti Syluestri.

Hæ sunt nocturnales stationes Sancti Petri: Dominica de *Gaudete*, Epiphania, Ascensio Domini, Pentecostes, festiuitas sancti Petri et ejus Octaua, festiuitas sancti Andreæ. In unaquaque earum stationum scholæ palatii, scilicet cardinales, diacones, subdiacones, cantores regionarii, acolythi debent habere quinque solid. den. de altari Sancti Petri pro cœnatica, archidiaconus xviii den., pro his qui cantant lx, canonici xiii solid., et ad Missam medieta-

A usque ad finem. Si deerit dominus pontifex, et venerit cardinalis solus cantare Missam, in quacunque statione totam medietalem altaris habent prædictæ scholæ. Cardinalis qui cantat Missam, habet tertiam partem oblationis; sed si habet aliquem socium cardinalem, non fit ita; sed oblatio, sicut mos est, communiter dividatur per scholas.

Hæ sunt Sancti Petri diurnæ stationes: In omnibus Sabbatis Quatuor Temporum, in Dominica Quinquagesimæ, Dominica in Passione, feria secunda post Pascha, Dominica *Ego sum Pastor bonus*, in *litanias Majores*, in Dedicatione, et in Cathedra sancti Petri. In unaquaque harum stationum accipiunt quinque solid. et oblationem. Sed dominus pontifex accipit xx solid. in nocturnis stationibus, B quando accenduntur retia (38); et in diurnis, quando accenduntur candelæ.

(38) Pharus alio nomine appellant, id est lucernam orbicularem cum certo lucernarum aut candelarum numero.

APPENDIX.

Joannis papæ XIX (39) diploma, quo facultatem concedit episcopo Silvæ Candidæ divina officia certis diebus celebrandi in ecclesia Sancti Petri in Vaticano.

JOANNES episcopus, seruus servorum Dei, dilecto filio PETRO Dei gratia episcopo Silvæ-Candidæ Ecclesiæ, et per te eidem venerabili episcopo, successoribusque tuis in perpetuum.

Conuenit apostolico moderamini . . . *Exstat inter epistolas et diplomata Joannis XIX, Patrologiæ tom. CXLII, col. 1125, sub num. 4.*

(39) Qui nobis Joannes XX cujus annus tertius coincidit in annum millesimum vicesimum sextum indictione III a Septembri incepta.

ANNO DOMINI MCKLIV.

CŒLESTINUS II

PONTIFEX ROMANUS

NOTITIA HISTORICA

(Mansi, *Concil.*, tom. XXI, col. 591.)

Cœlestinus secundus, natione Tuscus, Guido antea vocatus, ex presbytero cardinale tituli Sancti Marci, juxta constitutionem Innocentii prædecessoris sui, qua populus omnino a pontificis electione arcebatur, primus sine ullis populi suffragiis, teste Oauphrio, propter civile bellum quod a Romanis senatum restituere satagentibus imminobat, creatus

est pontifex, tempore Conradi imperatoris, an. Domini 1143, illo die quo Innocentius secundus e vivis decesserat. Petrus, Cluniacensium abbas, scripsit ad eum epistolam, apud Papirium Massonum exstantem, qua continetur ipsum legitime electum initio pontificatus Romæ omnia pacata habuisse. Willielmum Eboracensis ecclesiæ thesaurarium,